







DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
OBESITATE,
QUAM
ANNUENTE INCLYTA FACULTATE
MEDICA,
IN ANTIQUISSIMA ac CELEBERRIMA
UNIVERSITATE VINDOBONENSI PUBLICAE
DISQUISITIONI
SUBMITTIT

ANTONIUS JELLOUSCHIG,
CARNIOLUS HYPER-LABACENSIS,
DISPUTABITUR
IN UNIVERSITATIS PALATIO

Die Mensis Augusti MDCCLXXVI.




V I E N N Æ

Typis JOAN. THOMÆ NOBIL. DE TRATTNERN,
TYPOGRAPHI ET BIBLIOPOL. AULICI

11545

ANTONIOUS JERONIMUS
CAROLOUS HILF LABACHENSIS
DISPUTATIONE
IN UNIVERSITATE PATAVINA
DE MEDICINA ACUTAE
SUBMITTIT
UNIVERSITATIS PATAVINAE
MEDICINAE FACULTATIS
PROVINCIAE
IN PATAVINIA ACUTAE
UNIVERSITATIS PATAVINAE
DISPUTATIONE

IN=03 000 6638



§. I.

Obesitas est nimia pinguedinis collectio in membrana cellulosa, differt igitur ab aliis intumescentiis, cellulosa enim tunica in anasarca aquam, in leucophlegmatia pituitam continet, & vestigio impressi digiti aliquamdiu servato, luridoque faciei colore se prodit, in emphysemate turgēt aere, a percussione, aut crepitum aut sonitum plerumque edit, mendacisque voluminis sui levitatem in statera fatetur: sed ne meus sermo ad tumores aberraret, ad meliorem diagnosim descriptio tumorum apud authores videatur, ex quibus *cl. Plenck* (a) multa collegit. Du-
pli-

A 2

(a) nov. System. tumor.



plicem autem veteres statuere obesitatem, scilicet naturalem, & adventitiam, quarum primam ex venarum angustia, corporis glabritie, infirmitate, carnis frigiditate, alteram ex venarum amplitudine, hirsutie, corporis æquabiliiori frigiditate cognosci, & priorem minus curabilem posteriori esse docuit *Rodericus a Castro* (a).

§. 2.

Sedem obesitatis statui in membrana cellulosa; hæc undique sub cute repit, omnes tunicas, vasa, singulas musculorum fibras comitatur, cellulis sat fortibus gaudet (cellulosa enim ab arteriis discissa aneurismatis periculum imminet) dilatabilibus tamen, quod varii tumores demonstrant; hæ cellulæ mutuo inter se hiant; unde intelligimus, quomodo aer asperæ arteriæ vulnus intrans totum corpus inflaverit in historia Paræi ab *illustris. defuncto præside v. Swieten* repetita: (b) quomodo apud magnum *Boerhaave* (c) vir anasarca tumidus pedibus ob hyemale frigus ad arduas prunas admotis, & absque sensu ambustis, & postea triduo aquam pluentibus felici infortunio sanatus sit: quomodo 5 libræ cruoris se in cellulosam circa aneurisma arteriæ cruralis spurium in-

(a) de morb. mulier. l. 3. p. 377.

(b) Com. tom. 1. p. 399.

(c) prælect. acad. vol. 3. p. 518.



insinuaverint observante *magnif. Professore de Haen*: (a) quomodo pus de parotide suppurata ad cubiti articulum in adiposo paniculo descenderit anchylosim creaturum teste *illust. v. Swieten* (b).

§. 3.

Quoniam tunica cellularis dilatabilis, & inter se patula est, & præterea oleum in cellulosa residens parietes ejusdem lambit, emollit, distendit, adeoque magis debilitat, aptioremque ad plus oleum capiundum reddit; haud mirabile perspectu est, cur obesitas semel coepta in tantam sæpe increseat molem: viri abdomen ultra pedis mensuram crassum, carnem tantum 10 libr. reliquum corpus meram pinguedinem fuisse memorat *Bonetus*: (c) puellam decennem 200 libr. pendentem, & abdomine a mammis ad talos usque fluenti dotatam *Thom. Bartholinus* (d): puerum obesum 5 annorum 150 libr. pendentem *Tulpius* (e) describit: virum pinguem 400 libr., quamdam fæminam 480 libr. *Sennertus* (f): virum obesum 500 libr.

A 3

nar-

(a) rat. med. part. 7. p. 17.

(b) com. tom. 1. p. 705.

(c) sepul. tom 1. l. 2. S. 11. obs. 46.

(d) Cenæ 3. hist. 88.

(e) l. 3 obs. 55.

(f) pract. tom 4. l. 5. p. 798.



narrat *ill. Haller* (a): notus ex *Galeno* *Nicomachus Smyrnæus* præ pinguedine immobilis, quem *Æsculapius* sanavit: nondum tempus memoriam delevit de *Dyonisio* *Heracleæ* tyranno adeo obeso, ut a somnolentia continua longis acubus in corpus defixis excitandus fuerit; somnolentia tyranno digna!

§. 4.

Quamvis *Galenus* (b) adipem duritie majori & difficiliori ad calorem fusione distinguat a pinguedine, minus tamen id necessarium puto, quia adeps, seu pinguedo omnis in vivo animali fluida, nisi status præternaturalis, uti in herniis adiposis interdum videtur, ludat; oleum in sanguine porci circulare observavit *Ruyssius*, in ranarum arteriis *Malpighius*, ex amputatis vasis stillare *Morgagnus*, in vivis animalibus pellucidum, fluidumque adipem sæpe *ill. Haller* (c) vidit: hac fluiditate illum frigus cadaveris, vel aeris accedens spoliatur: cur autem tam facile spoliatur, forte ratio ex sequentibus patebit. *Rhades* suadente *ill. Hallero* (d) ex unc. 16 adipis destillando obtinuit drach. 14 acidi li-

(a) elem. phys. tom. 8. l. 30. p. 67.

(b) clas. 5. de simpl. med. facul. p. 78.

(c) elem. phys. tom. 1. p. 28.

(d) elem. phys. tom. 1. p. 31.



liquoris cum alcali effervescentis & in sa-
lem medium coeuntis, oleum obtentum
acido per repetitam destillationem priva-
tum limpidius, oleoque vegetabili multum
simile evasit; *Macquer* sebum purum de-
stillatum edere alcali vol. negavit, & aci-
dum phlegma dare docuit: vidi in colle-
giis *cel. Professoris de Faquin* butyrum ceræ
acido per repetitam destillationem semper
edito ita fluidum redditum fuisse, ut fri-
gore atmosphæræ non inspissaretur: re-
sinæ ob plus acidum inclusum minus flui-
dæ balsamis sunt: an non ex his conclu-
ditur, adipem suam promptam in cada-
vere inspissationem proprio acido debere?
an inde elucescit, cur herbivora anima-
lia carnivoris plerumque obesiora? cur
adeps animalium solo gramine viventium
in frigore atmosphæræ durior? victum ve-
getabilem copiosiore acido, quam anima-
lem gravidum esse nullus dubitat. Adeps
levior, ac aqua est, hac ex causa obesi
in aqua minus submersionis periculum,
quam macilenti cæteris paribus incurrunt
cl. Lieutaud (a).

§. 5.

Modum secretionis adipis hæc experi-
menta declarant: adeps liquatus in arte-

A 4

riam

(a) *Synops. med. part. i. p. 282.*



riam injectus per totam ejusdem longitudinem deserto vase in cellulosam tunicam transudat, in cadavere externis vasorum lateribus adhærere solet, & ita quidem, ut vasis majoribus majores adipis striæ, minoribus minores associantur; inde conjectura fuit, latera arteriæ per totam suam longitudinem poris inconspicuis, aut brevibus ductibus hiare, perque hos pinguedinem a sanguine post tergum urgente exprimi, præcipue quia oleum sanguine levius, adeoque motum sibi communicatum citius perdit, lateribusque vasorum facilius adhæret docente *Michelotti*; in cellulis oleosæ particulæ magis sese attrahunt, coeunt, reliquis seclusis resorptisque, homogenea enim se mutuo valide attrahere demonstravit *Keil*, quia aqua adipi mucoque mixta vidit quiete sola particulas mucosas ad mucum, oleosas ad adipem, aqueas ad aquam secedere. *Malpighius* quidem vir fere totus glandulosus glandulas ad discernendam pinguedinem, earumque ductus excretorios finxit, verum unde tanta sæpe pinguedo in omento, quod tamen glandulis præter paucas arcui ventriculi affidentes caret? cur iisdem fibrarum muscularium interstitia pingui sæpe saturata destituuntur? non ultra diruam *Malpighii*



pighii sententiam, quam *Morgagnus* (a) destruxit: glandulis quidem sebaceis & ceruminosis secretionem pinguis materie non abnego, hæ tamen nunquam obesitatem facient, non enim in cellulofam, sed extrorsum secretum oleum mittunt.

§. 6.

Ad obesitatem generandam plus olei in cellulas perveniat, quam ex iisdem abeat est necesse, ad quod requiritur abundantia olei in sanguine, facilis in cellulofam depositio, longiorque in hac quies, igitur ad obesitatem prædispositi erunt I^{mo}. qui fortibus visceribus chylopojeticis gaudent, quia multum, bonumque chylum pinguedinem pariturum ex ingestis extrahent, pinguescere enim incipientes appetitu valent vegeto, & frequenti, facileque digerunt, nec injuste prima obesitatis rudimenta in stomacho statuit *Etmüller* (b): observat cel. *Tissot* (c) aliquos litteratos, queis milonianum ventriculum ferreaque intestina natura donavit, mentis labores, corporis oia, & gulæ errores innocue ferre, simulque valde pinguescere: huc ex *Boneto* (d) exemplum fæminæ revocari

A 5

po-

(a) advers. anat. 3. animad. 2.

(b) de nutr. part. læs. p. 277.

(c) de valet. litter. p. 36.

(d) sepul. tom. 2. l. 3. f. 2. obs. 2.



potest, quæ appetitus fere non interrupti cau-
 sa assidue comedebat, & in cadavere suo
 20 fere libr. adipem reliquit, hæc pro-
 fecto non comedebat, ut viveret, sed vi-
 vebat, ut comederet. 2^{do}. prædispositi
 sunt, quibus vasa sanguifera laxa, & cel-
 lulosam laxam natura tribuit, ex hoc fon-
 te orietur minor vasorum actio in sangui-
 nem, ejusdem pigrior motus, secretiones
 & excretiones parciore, major sanguinis
 accumulatio in vasis; hinc multo tardior
 motus, promptius olei a sanguine divor-
 tium (quo enim tardiori motu oleum cum
 aqua & mucilagine miscetur, eo citius
 oleum separabitur) facilis per laxata vasa
 transudatio, facilis in cellulosa laxam
 receptio: ex his patet, cur juvenes galli-
 næ citius saginentur observante *Reaumur*,
 cur castrata animalia, cur infantes, & fæ-
 minæ ad obesitatem sint aptiores, quam
 senes & cholericæ, priorum cellulosa &
 vasa sunt laxiora, quam posteriorum, cur
 post balnea tepida, & V. S. frequentes,
 post febres, (quod & mihi contigit) multi
 pinguescant, scilicet etiam hæc debilitant
 corpus. Ideo *Hippocrates* (a) dixit, mu-
 lieres graviditate interdum fieri pinguiore
 & præcipue pingue in omentum & carnem
 faci-

(a) de natur. puer. foet. p. 241.



facilius exsudare, si raro habitu mulier fuerit *3tio*. Prædispositi sunt, quibus motus humorum est tardior & æquabilior, alcaliscentiam enim humorum post se trahit minorem, secretionem olei adauget, minusque fugat adipem, ideo circa 40 & 50 annum pinguescere solent, ideo fæminæ ad obesitatem sunt aptiores propter pulsum tardiozem.

§. 7.

Causæ Procatarticæ obesitatis sunt.

Aer frigidiusculus & subhumidus, quoniam olei excretionem per cutem minuit, motum humorum moderatur, appetitum auget, contraria enim excitat calidus & ficcus aer; hac ex causa hyeme pinguiorres, æstate macilentiores sumus; plures in septentrionalibus quam australibus regionibus obesos inveniri *Zwingerus* testatur, & jam *Galenus* (a) audivit Celtas, Thraces, Ponticos, Galatas utpote frigidarum regionum incolas in universum pingues esse: *Rhasis* (b) ad impinguandum suadet in domibus frigidis & humidis quietem & somnum.

Victus

(a) Claf. 5. de simpl. med. facul. p. 14.

(b) Ad Almans. tract. 5. C. 60.



Victus lautus copiosum chylum pro extrahendo pingui generare potest; saginandis avibus adhuc quartam annonæ partem *Reaumur* addidit: apros in abundantia pabuli ita pinguescere, ut mures exesa illorum cute in denso adipe nidos sternant ex *Aristotele* refert *Boerhaave* (a) in viri ad mortem usque in cibis excedentis cadavere præpingue abdomen, omentum, mediastinum demonstravit anatome *Morgagni* (b) virum optimo cibo potuique & deliciis unice inservientem ita pinguem evasisse *Boerhaave* (c) narrat, ut abdomen suum fasciis ad scapulas suspendere, mensæ ad semicirculum exsectæ affidere debuerit, & omentum 30 libr. penderet; an non venter huic deus erat, abdominique suo natus esse videbatur? victus sit succulentus, subpinguis & acrimoniæ expers, ut humores magis blandi, oleosique sint, minusque rapide moveantur: *cl. Zückert* (d) contra *Duradum* oleosa ex nutrientibus excludentem observat illos cito fieri plethoricos, qui pinguibus vescuntur; pingua tamen non nimis copiose assumantur, ne debilitando ventriculum, & ob

ran-

(a) De morb. nerv. p. 136.

(b) De sed. caus. morb. ep. 4. art. 24.

(c) Præl. acad. vol. 3. p. 99.

(d) De mater. alim. p. 5.



rancescentem indolem acres humores reddendo contrarium excitent. Vegetabilia animalibus mixta pinguedinem augent, non solum, quod ex *Macbride* vegetabilia animalibus mixta citius, quam sola vegetabilia fermentare observante concludat *cl. Marherr* (a) suam fermentationem chylosam, adeoque & chylum citius parari sed etiam, quod vegetabilis cibus animali mixtus alter alterius degenerationem moderetur, blandumque chylum conservet. Si tamen ad obesitatem eligendus aut solus vegetabilis, aut solus animalis victus foret, præferrem vegetabilem præcipue mucilaginosum & oleosum, humores enim nostri ad alcali, vegetabilia autem fere omnia ad acidum properant, isto igitur acrimonia nostrorum humorum præpedietur: nunc non obscura ratio erit, cur animalia solo vegetabili cibo contenta sint plura obesa, quam ferocia aliis animalibus vescuntia. Vegetabilem cibum aptum ad faginam esse probat plethora exinde nata; *cel. Tissot* (b) virginem per 3 annos solis vegetabilibus viventem novit, quæ tunc temporis largissima menstrua, frequentes narium hæ-

mor.

(a) Præl. Tom. I. p. 313.

(b) Epist. de apopl. p. 106.



morrhagias, cephalalgiam calido aere incrementem, deinceps pleuritidem frequentibus v. l., ac narium hæmorrhagiis fugandam habuit. Potus mucilaginosus valide nutrit, cerevisia triticea reddit obesos affirmante *cl. Zückert* (a) quod plures ex strenuis cerevisiæ potatoribus ostendunt: quare tamen quidam helluones non pinguescant, a causis prædisponentibus, aut aliis procatarticis dependet: ideo *Foësius* (b) ex *Hippocrate* & *Galeno* probat alimenti benignam & succulentam portionem calidis naturis adustione in amaritiem, frigidis in pinguedinem congelari.

Quies animi & corporis huc multum confert, raro tardoque pulsu illum, cuius mens neque acribus curis nec corpus musculorum motu exercetur, gaudere observat *ill. Haller* (c); ergo in tali melior digestio, æquabilior olei a sanguine secretio, secretique longior in cellulis mora & accumulatio fiet: anseres & columbæ cum cæcitate & fractis cruribus in quieto loco valde pinguescere observantur: sedentariis omentum crassescit: *Demetrius* in captivitate regio apparatus sustentatus ob quietum

(a) De mater. alim. p. 308.

(b) Pag. 1008.

(c) Elem. phys. Tom. 2. p. 254.



tum corpus adipe ita increvit ut intra aliquot menses perierit referente *Plutarcho*: *Backer* describit virum, qui quamdiu securis & iris exercuit, macilentissimus, his autem renunciatis tantam in obesitatem transiit, ut vi mentis debilitata in fatuitatem laberetur.

Plurimum auget pinguedinem somnus multus; in somno stimulos externos non percipimus (nam a decubitu non dolemus) nec internos, nam a cæna ad prandium longiore scilicet tempore, quam a prandio ad cænam somni intercurrentis causa absque cibo potuque sumus, & plurimi in somno nec ad alvum nec urinam, sputumve excernendum irritantur, in somno pulsus lentior, minusque frequens, perspiratio per experimenta *Gorteri* minor, somnus per membra quietem irrigat, atque animi curas e pectore solvit, & uti *cel. Tissot* (a) confirmat, in somno rarior respiratio, parciore secretio, & excretio, minor humorum alcaliscentia, major coctio, cocti æquabilior applicatio, in cellulosa simul tepore lecti mollis relaxata depositio olei, ejusdem longior in cellulosa relaxata & quieta est mora; mus montanus, glis, vespilio, erinaceus, ur-

fus,

(a) *Epis. de variol. p. 20.*



fus, hirundo & insecta varia per multam
 hyemis partem dormiunt, vix perspirant,
 in tarda humorum circulatione quiescunt,
 nullam fere alvum deponunt, nil come-
 dunt, & tamen vivunt: foetus ex spuman-
 tis libidinis gutta in pondus 105 unc. in-
 tra 9 menses dormiendo excrescit: infan-
 tes multum dormiunt, & pinguescunt:
Pechlin animalia somno saginari posse pro-
 bavit; ideo *Reaumur* annonæ ad saginam
 immiscuit lolium: ideo *Avicenna* (a) pin-
 guesciendis hominibus internelumendum
 hyosciamum album, amygdalas, papa-
 ver &c. suavit: plerique ex obesis natura
 sua mites & somni amatores sunt.

Retenta: excretiones sanguineæ &
 blandæ subito cessantes congerunt pletho-
 ram & inde obesitatem, cum viscera chy-
 lopojetica eandem, ac prius chyli copiam
 elaborant, sed non eadem humorum co-
 pia excernatur, hac retenta turgent cana-
 les; ideo post artuum truncationem ple-
 thoram colligi *Boerhaave* (b) confirmat:
 fæminæ ætate menstruorum cessantium ple-
 thorumque pinguescunt: vacca post ablacta-
 tionem uberibus exsiccat, lætis pascuis
 absque labore refecta pingue ex gramine
 col-

(a) L. 4. fen. 4. t. 4. C. 2. 2.

(b) Inst. §. 781.

collectum retinet, & intra paucos menses valde pinguescit: *Marchio de saint Auban* pinguem carnem & recens butyrum amans sesquianno post hæreditarias hæmorrhoides fluentes, nunc clausas ægrotare incipit, pectore dolet, tussis plerumque sicca & ad remedia rebelli concutitur, fame cruciatur, quam tragædiam suffocans mors finit, in cadavere *Boerhaave* (a) inter mediastini laminae steatoma 6 libras pondere excedens, pectorisque cameras angustans invenit, hunc sebaceum tumorem a fluxu hæmorrhoidum desinente natum fuisse credibile est.

Excreta: frequens v. s. ad obesitatem disponit, nam vasa sanguifera & cellulosa debilitat, & ad plus oleum colligendum aptat: sic vitulos in Anglia saginant teste *Lister*: apud ill. v. *Swieten* (b) fæmina, cui ob animi affectus validos sæpe redeuntes ultra 60 v. s. intra annum celebratæ fuere paucorum mensium spatio obesissimam, & 150 libris graviolem evasisse legitur: *Morton* (c) plures matres lactationis tempore fieri pingues novit.

Applicata: pinguescendum ad lenem rubedinem fricare, postea illico emollien-

B

(a) *Histor. alt. atroc. morb.*

(b) *Comment. Tom. I. p. 155.*

(c) *De phthis. l. I. C. 6.*



ti oleo inungere suadet *Galenus*, *Rhâsis*, *Avicenna*; frictio enim lenis vasorum oscillationem imitatur, ex venis utpote magis superficialibus humores expellit, in vasis sic inanitis minorem resistantiam præsertim ob inunctionem emollientem ponit, in hæc igitur humores motu accelerato ruent, vasa plus distendent, oleumque in cellulas transpriment. Dropaces officio frictionis funguntur, dropace ex pice facto nates deficientes adolescentis a pecudum venditore impinguari *Galenus* vidit. Balneum aquæ tepidum præcipue post cibum docente *Avicenna* aliisque huc pertinet, quoniam emollit, debilitatque: foetus in balneo humido tepidoque uteri hærens cito crescit; balneo ex aquæ & lactis æquali parte peracto atrophicam puellam *Fischerus* sanavit. Denique cum *Hippocrate* (a) moneo, qui pingues fieri volunt, jejuni nullam exercitationem iubeant, corpus refrigerent, pinguiora assumant & contraria iis, quæ obesitatem tollunt, faciant: & cum *Celsô* (b) implet corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio & si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum frigus hyeme, somnus plenus & non multum nimis longus, molle cubile, animi securitas,

(a) De salubr. viſt. rat. foët. p. 338.

(b) Lib. I. Cap. 3.



tas, potus & cibus dulcis, pinguis, frequentior, & quantum plenissime digerere potest.

§. 8.

Ufus olei in corpore: hoc fibrarum interstitiis adhærens, earundem attritum, siccitatem, concretionem minuit, pinguedine enim per suppurationem consumpta musculus cuti accrescit, multumque mobilitatis perdit; ossa radiis solaribus exposita post exhalationem omnis olei ficciora & fragiliora fiunt; omento deficiente ventriculus, hepar, lien coaluere observante Th. Bartholino (a) a deficiente in senibus oleo rigiditatem deducit Ill. van Swieten: (b) pinguedini corpus a frigore defendendi officium vestibus simile Vesalius (c) tribuit: apud Galenum gladiator vulnerato, & abscisso omento a frigore aeris ita lædebatur, ut lanis assidue obvolutus & tandem improvide refrigeratus cito perierit (d) pinguedo acrimoniam humorum inviscat, an non ideo epiploicæ appendices crassis intestinis adhærent? corporum duriorum pressionem minuit, ideo plantis pedum, volis manuum, natibusque copiosa pinguedo

B 2

(a) Cent. 3. hist. 6.

(b) Com. Tom. I. p. 40.

(c) De corp. hum. l. II. p. 280.

(d) Claf. I. de usu part. p. 137.



guedo substernitur. Superficiem corporis æquabiliorē, mollioremque efficiundo pulchritudinem auct. Sed hæc de moderata copia, & bona indole pinguedinis intelligi volo, de contraria mox dicam.

§. 9.

Prognosis: cum omne nimium naturæ inimicum sit, nimia pinguedo collecta, est periculosa, vascula enim debilitat, comprimit, obstruit, quantitatem motus circulatorii minuit, suffocat, functiones turbat, acrior facta inflammat, erodit, natura valde crassi celerius intereunt, quam graciles, *Hippocrates* (a); nec mirum, cum pinguedo per febrilem motum & calorem, uti *ill. van Swieten* (b) explicat, soluta molem humorum V. S. vix tollendum reducat, vasa in obesis angusta eam capere nequeant, & oleum in calore febrili in rancidam acrimoniam tendat: inde intelligo, cur obesos in variolis magis periclitari affirmet *Nenter* (c): cur *Celsus* (d) scribat obesos plerumque acutis morbis & difficultate spirandi strangulari, subitoque sæpe mori, quod in corpore tenuiore vix evenit: subita autem

mors

(a) Sect. 2. aph. 44.

(b) Com. Tom. 2. p. 311.

(c) Fund. med. Tom. 2. tab. 139.

(d) Lib. 2. C. 1.



mors in pinguibus ad mentem *Lancisi* (a) divinari potest, quamprimum faciei & oculorum color in lividum mutetur, dispnæa, angor cordis, impotentia motuum, lethargus aut vertigo adest, functionum enim vitalium læsio est perquam periculosa: *Frid. Hofmann* (b) obesos ab animiurbationibus graves læsiones pati scribit: amplior prædictio ex sequentibus fluet.

§. 10.

Morbos obesitas excitat varios: si pinguedo circa æsophagum colligitur, comprimendo deglutitionem reddet difficilem: *Bonetus* (c) describit hominem, cujus tracheæ & gulæ tantum adipis adhæsit, ut præter dispnæam paucis ante mortem diebus cibos deglutire non potuerit: non rarum est obesos antea voraces, tandem inappetentes fieri, quoniam adeps mole ventriculum comprimit, motum ejus quasi vermicularem, actionem ejusdem vasorum, secretionem succi gastrici impedit, villorum stimulum obtundit: in obesibus internæ ventriculi superficiei circa fundum multa pinguedo adnata interdum inveniebatur, ob quam sæpe diuturniori inappetentia ta-

B 3

les

(a) De subit. mort. p. 64.

(b) Med. rat. syst. Tom. 1. p. 245.

(c) sepul. tom. 2. l. 3. f. 4. obs. 17.



les laborabant, quasi dulcis quidam humor adhæreret, uti *Bonetus* (a) scripsit: vir sexagenarius ventriculi & capitis debilitate per 30 annos vexabatur, in cadavere omentum prægrande fuit, uti *Morgagni* (b) refert. Systema biliosum in obesibus multum patitur, siquidem viscera abdominalia ab adipe comprimuntur, musculi abdominales debilitantur, impediuntur, accedit corporis quies, motus humorum pacatior, adeoque bilis ex vesicula minus expellitur, plus stagnat, partes ejus tenuiores resorbentur, partim transudant, crassiores, terrestres cum pinguibus sese attrahunt in calculum: *ill. v. Swieten* (c) a bile in purum vas deposita, tantum mora grumos calculosos ad fundum præcipitados vidit: boves in stabulis saginati sæpe calculos felleos habent: in obesibus hominibus calculos biliosos sæpius inveniri testantur exempla apud *Morgagnum* (d) *Bonnetum* (e) *Mangetum* (f) *F. Platerum* (g) descripta, sed si calculo felleo obesi tam sæpe laborant, icteri signa præseferre deberent,

(a) *sepul. tom. 2. l. 3. f. 1. obs. 7.*

(b) *de sed. caus. morb. ep. 25. art. 4.*

(c) *com. tom. 3. p. 132.*

(d) *de sed. caus. morb. ep. 27. art. 2.*

(e) *sepul. tom. 2. l. 3. f. 21. obs. 39.*

(f) *bibl. pract. tom. 3. p. 534.*

(g) *obser. l. 3. p. 877.*



berent, hoc quidem theoria fufurrat, praxis tamen sæpe negat; non adducam *Lælios a Fonte*, *Pechlinos*, *Etmülleros*, *Valisnerios*, *Morgagnos*, qui calculos felleos absque ictero in cadavere repererunt, tantum ad *ill. Hallerum* (a) appello, qui raro icterum cum calculis biliariis invenit, & ad *illustrissimum Præsidem L. B. de Störck* (b), qui in vesicula fellea vidit calculum, quamvis illa fæmina nunquam ictero laboraverit. Calculum quoque renalem frequentius obesi habent, quoniam renes, eorumque vasa egredientia, præsertim venæ renales fociis arteriis debiliores a pinguedine incumbente premuntur, plus justo emolliuntur, debilitantur, accedit quies præli abdominalis, quadrati lumborum, psoæ &c. actionem minuens, & situs supinus dormientibus obesis familiaris; unde urina in renibus morabitur, ejus particulæ crassiores, terrestresque excutientur, inque calculum coibunt, urina enim etiam sanorum stagnans matulas crusta terrea alba obducit: apud *Littrium* puero urina remanens calculos inter glandem & præputium generavit, sed sublata phymosi nulla porro oriebatur arena: *Boerhaave* (c)

B 4

homi.

(a) opusc. path. obs. 38. hist. 16.

(b) ann. med. i. p. 129.

(c) præl. acad. vol. 3. p. 514.



hominem renum calculo laborantem vidit adeo obesum, ut adeps circa umbilicum 6 digitos transversos crassus fuerit, causamque calculi compressioni renum a pinguedine factæ adscribat: *Bonetus* (a) denotat virum, cujus abdomen adeps ad 2 digitorum transversorum altitudinem textit, multos renum calculos habuisse: *Baglivius* (b) notat in iis, qui calculis intereunt, omentum pinguedine abundare. Obesitas non parum generationi hominis nocet; *Hippocrates* aiebat (c) eas, quæ præter naturam crassæ & pingues evaserunt, eo tempore non concipere, rationemque hanc (d) addit; quæ præter naturam crassæ non concipiunt, ipsis os uteri ab omento comprimitur, neque prius quam extenuentur prægnantes efficiuntur, seu potius ideo steriles sunt, quia (uti *Morgagnus* (e) hunc aphorismum explicat) a pinguibus intestinis aut pinguedine tubarum fallopii membranæ, aut alæ vespertilionis accrescente motus harum partium ad generationem necessarius impeditur, *Mercatus* (f)

ex

(a) *secul. tom. 2. l. 3. f. 22. obs. 1.*

(b) *de morb. success. c. 15.*

(c) *de superfoet. Foës. p. 262.*

(d) *sect. 5. aph. 46.*

(e) *de sed. caus. morb. ep. 45. art. 14.*

(f) *de mul. affect. tom. 4. l. 3. p. 641.*



ex *Aetio* viros aut mulieres pingues ad generationem ineptas esse adducit, quia pudenda inter se aptare non possunt; in obesibus minus vegeta animalcula spermatica (quæ adesse experimenta directa ab adversariis nondum diruta demonstrant) esse, quædam conjectura dici potest, siquidem in viris senectute, morbo, frequenti coitu debilitatis aut nulla aut languidiora animalcula spermatica inveniebantur, atqui obesi musculos, vasa, vires debiliores habent; vir obesitate debilitatus, ligatus minori vi ejiciet semen, minori que vigore illud mulier adipe impedita in ovulum suum recipiet; nobiles & matronas ob deficiam ventricosas & plerumque steriles, servos autem servasque ob laborem graciles, & ideo sæcundas esse *Musitanus* (a) notat: ipsemet obstetricem, uxorem adultam nosco, quæ antea pinguis non concepit, dein autem interno muriæ salis usu obesitatem perdidit, concepit, sanamque prolem peperit: pleræque obesæ citius aliis concipere desinunt, nam citius aliis menstrua, interdum jam 35 anno perdunt confirmante *cel. Zimmermann* (b): facile quoque abortiunt, siquidem abdomen
adipe

(a) De morb. mul. C. 4. p. 122.

(b) Von der Erfahr. 2. Th. 420. S.



adipe turgens uteri distensionem difficile admittit, uterus a pinguedine circumjacentium partium relaxatus difficile foetum retinet: fœminas pingues non concipere & facile abortire jam *Avicenna* (a) novit: mulier obesa septies abortum passa consultuit *Boerhaavium* (b): obesas mulieres difficulter parere ajunt; contrarium tamen experientia testatur, nec pinguedo, uteri interiora, illiusque cervicis occupat, nisi adeps abdomini superstratus tardiores illas efficiens partui obstat, quod *Fel. Plater* (c) contendit. Adeps lactantibus nocet, mammae enim magna sepultae pinguedine ob compressos ductus galactophoros parum lactis dabant teste *ill. v. Swieten* (d). Dum venae adipe compressae tantum aquae resorbere nequeunt, quantum arteriae extillarunt, hydrops oritur, cui obnoxios esse obesos *ill. Haller, cel. Lieutaud* scribit, cum vero pingues non tam aquam, quam adipem conficiant, rarius ille evenit, sunt tamen exempla; in hydrope renes adipe obruti erant, quem hydropis causam fuisse *Bonetus* (e) credidit: *Magnif. Pro-*

(a) L. 4. fen. 7. tr. 4. C. 5.

(b) Consult. med. ep. 30.

(c) Tract. I. p. 530.

(d) Com. tom. 4. p. 670.

(e) Sepul. tom. 2. l. 3. S. 21. obs. 8.



Profes. de Haen (a) describit virum hydropicum 8 paracentheses passum, in quo faccus omenti hydropicus tumorem steatomatosum 33 lib. continuit: vir valde obesus anno ante mortem dyspnœa, inæqualitate pulsus, incipiente hydrope laborans oxymelle scillitico, stomachicis, & fonticulo cruris sublevatus, dein tamen repente mortuus in cadavere abdomen, basim cordis, arteriam pulmonalem, aortam multo adipe gravatam reliquit in anatome *Lancisio* (b). Cum pinguedo partes emolliat, debilitetque, accidit, ut herniæ oriantur: fœmina 40 annorum obesissima in conamine, ne in scapha in fluvium incideret, herniam intestinorum umbilicalem acquirit, quæ sequentibus annis ob obesitatem ad capitis magnitudinem crevit, uti apud *Mangetum* (c) legitur: in valde obesa herniam omenti umbilicalem ingentem *Hildanus* observavit: in obeso pinguedinem luxuriantem per annulum abdominalem in scrotum exorbitasse, herniamque adiposam fecisse vidit *Boerhaave* (d). Nimia pinguedo interposita fibras musculares emollit, a se invicem sejungit, disten-

(a) Rat. med. part. 4. p. 95.

(b) De repent. morb. obs. phys. anat. I. p. 129.

(c) Bibl. pract. tom. 2. p. 844.

(d) Præl. Acad. vol. 6. p. 55.



stendit, debilitatque, intercurrentes arterias, venas, nervos premit, ideo in obesis arteriæ venæque angustiores, quam in macilentis sunt, in bove non obeso discissum musculus sanguine manasse *Boerhaave* (a) vidit, dum nihilo exilior caro pinguiissimæ ovis secta nihil cruoris ostendit; & jam *Aristoteles* obesa animalia paucum sanguinis habere notavit, unde fibræ musculares pauciores nutritionem, paucius liquidum nerveum accipient, minusque in rugas quasi undulatas ob interpositam pinguedinis molem sese contrahent, sensimque ad actionem suam ineptiores fient: apud *Trincavellium* (b) vir post hæmoptysim otio, lauto victui se dedicans fit ventricosus & adeo obesus, ut jam ægre se movere posset, & ex motu ambulationis, quin ex dimotione brachii in dyspnœam rueret: *Sennertus* refert hominem post febrem malignam curatum adeo obesum evasisse, ut vix se loco movere posset: *Nicomachus Smyrnæus* præ obesitate immobilis fuit: matronarum canes victu hominibus aptiori saginati otioque diffluentes præ pinguedine vix gradi possunt. Obesis pili facile excidunt, nam nimis pingui hu-

(a) Præl. Acad. vol. 3. p. 8.

(b) Consil. 1. 3. conf. 101.



humori bulborum, laxiorique fundo immerfi facile eradicari possunt, turpisque calvities ante tempus venit, de qua *Ovidius* canit; turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus, & sine fronde frutex, & sine crine caput. Quando pinguedo in orbita superabundat, oculum extrudendo, nervum opticum extendendo vitiat visum; quando sub cute abundat, sensibilitatem tactus obtundit: *Dyonisius* acubus longis corpori infixis excitandus fuit. Obesitas multum encephalo nocet, quamvis enim nulla pinguedo in capite inveniatur, attamen, dum pinguedo in cæteris corporis partibus vasa premit, angustatque, sanguis in arterias encephali utpote magis extenuatas, tenuiores, debiliores, adeoque minus resistentes ruet, exque venis difficilior redibit ob repugnantem sanguinem ex reliquo corpore recurrentem, igitur encephalon premetur, sensus hebetabuntur; corpus obesum hebes esse *Celsus* (a) ajebat: fæminam ex pinguedine multa pigram, tardam, somnolentam, motui imparem, memoria destitutam, tandem fatuam evasisse *cel. Tissot* (b) vidit: huic stupiditatis causæ ac-

ce-

(a) Lib. 2. C. 1.

(b) *Epist. de apopl.* p. 132.



cedit somnus multus obesis familiaris: *Boerhaave* (a) novit eruditum virum, qui postquam se somno fere perpetuo donavit, destructa animalitate fatuus periit: accedit etiam victus lautus obesis pluribus usitatus; puer in sylva captus ob tenuem diætam odoratu sanas plantas a nocivis distinguente tamdiu gaudebat, donec non laute comedisset; cæcus tactu colores distinguere tunc tantum potuit, dum vacuum ventriculum habuit notante *cel. Zimmermanno* (b). Si encephalon magis premittur, oritur animalium functionum quies, somnolentia, sopor; presso encephalo somnum cum stertore fieri in canibus vidit *ill. Haller*; idem professorem ex obesitate soporosum novit (c). Largiori victui potuique serviens vir obesus jam per 3 annos mane & vesperi somno ita vexatur, ut in mensa, lusu, scribendo, loquendo obdormiret, & comate afficeretur apud *Raym. Fortis* (d). Si pressio encephali perquam vehemens fit, nascitur paralytis, apoplexia, queis obnoxios esse pingues confirmavit *Areteus Cappadox* (e): femina
ex

(a) Præl. acad. Vol. 4. p. 513.

(b) *Bon der Erfah.* 2. Th. 289. S.

(c) *Elem. phys.* Tom. 5. p. 603.

(d) *Conf. & resp. med.* Cent. 1. p. 58.

(e) *De caus. diutur.* l. 1. C. 7.



ex obesitate frequentem soporem, linguæ, brachii, cruris torporem, vertiginem, obnubilationem oculorum acquirit, quam *cel. Tissot* (a) curavit: obesos ad apoplexiam pronos esse plurima exempla apud *Bonetum*, *Mangetum*, *Morgagnum* extant, nec pauci ex talibus mortuis apoplexia sanguinea periere; unde docemur plethoram obesis sæpe inesse, nec raro iisdem curam sanguineæ apoplexiæ adhibendam esse. Malum quoque obesitas pectori machinatur, dum enim in abdomine abundat, diaphragma deorsum descendere impedit; dum multa inter mediastinum hæret, cameras pectoris angustat, unde pulmones ab aere irruente minus dilatari, arteriæ venæque cellulas aereas coronantes minus exporrigi & ampliari poterunt, circulatio per pulmones difficilior, respiratio læsa, & ex majori in vasis pulmonis sanguiferis & aereis affricu irritatio, tussisque eveniet, tandemque infarcto plurimum pulmone suffocatio sequetur: obesitatem ad asthma prædisponere docuit *Horne* (b): obesos infantes tussi convulsivæ obnoxios esse *Harris* (c) observat: anhe-

lo-

(a) Ep. de apopl. p. 132.

(b) Princip. med. p. 16.

(c) De morb. inf. p. 13.



losus vir vino valde addictus habuit in suo cadavere pleuram, mediastinum, abdomen pinguedine refertissimum apud *Bonetum* (a), idem (b) dyspnœam a pinguedine mediastinum replente demonstrat: *cel. Wade* (c) describit mercatorem 52 annos natum, qui collo brevi, amploque pectore donatus post hæmoptoen, tussim siccam, dyspnœam & ad minimum motum suffocationis periculum passus, cum pulsu bono, tandem deglutitione difficiliore & vomitu ad assumpta recurrente post II mensem sui morbi moritur, in cadavere membrana adiposa, pectoris abdominisque viscera, mediastinum, & cor pinguedine infarctum, pulmones collapsos & sanos invenerunt. Ab obesitate nimia suffocari animalia jam *Aristoteles* novit: puer 2½ anni a sola pinguedine suffocatus legitur apud *Bonetum* (d) in cadavere enim omnes partes sanas, sed pinguedine sepultas reppererunt; ibidem sæminam omnia viscera sana, sed pinguedine obruta habentem ex nimia adipe mortuam adducit. Multi obesi incubo vexantur, in situ
enim

(a) Sep. Tom. 1. l. 2. S. 1. obs. 118.

(b) In loc. cit. obs. 124.

(c) Beobacht. einer widernat. Fettig.

(d) Sep. Tom. 1. l. 2. S. 2. obs. 36.



enim somni supino sanguis promptius ad caput urgetur, difficilius ob pulmonum expansionem impeditam revertetur, encephalon pulmonesque premet, insomnia anxietatem, sensum ponderis &c. excitabit, tale quid apud *Mangetum* (a) de virgine legitur, quæ potius cibo & potui, quam viro & veneri indulgens, ideoque obesior facta per 10 menses ephialtem ita patiebatur, ut interdum cum ululatu expergefieret præprimis cæna lautiori assumpta. Cor se in aortæ ramos pinguedine angustatos evacuare non potens multum patitur, præsertim si ipsum quoque adipe oneratur: apud *Bonetum* (b) exemplum viri repente mortui prostat, in cuius cadavere pericardium adipe adeo sepultum fuit, ut cordi constricto debitam diastolem denegaverit; imo cor in obesibus interdum rumpi, cruoremque in pericardium effundere historiæ docent, tale exemplum *Morgagnus* (c) descripsit. Mirum rorte apparet in obesibus ossificatas aortæ partes sæpe videri, uti ex *Morgagno*, (d) *Boneto* (e) *Wade* aliisque patet; an in

C

obe-

(a) bibl. pract. tom. 2. p. 1114.

(b) Sep. tom. 1. l. 2. S. 11. obs. 16.

(c) de sed. caus. morb. ep. 27. art. 2.

(d) de sed. caus. morb. ep. 3. art. 2. & ep. 60. art. 6.

(e) Sep. tom. 1. l. 2. f. 11. obs. 26.



obesis ob motum humorum lentiolem, æquabiliorem terrestris materia facilius a reliquis secedit, deponitur, stagnat, con- crescitque in os tenuioribus levioribusque aufugientibus? Cum ergo obeli calculis ossificationique obnoxii sint, facileque materia calcarea deponatur, intelligitur *Sydenhami* (a) observatio, graciles & macilentos rarius, quam corpulentos & obesos fieri podagricos: ubi opima pinguedine torpere incipiunt, inquit *ill. v. Swieten* (b), & tamen genio indulgent, tunc sæpe podagra præ foribus est, ipsemetque audit quemdam virum valde obesum & podagricum a piratis captum per biennium in triremibus barbarorum remigasse, postea a captivitate redemptum plures annos obesitate & podagra liberum supervixisse: in cadavere viri 46 annorum arthritide, & nephritide cruciati abdomen ejusque viscera, præcipue renem dextrum pinguedine obrutum viderunt teste *Morgagno* (c): quantum igitur sanitatem negotiaque hominis turbat obesitas!

§. II.

Cura Palliativa: si symptomata tantum periculum adferunt, ut ad curationem

(a) de podagr. p. 99.

(b) com. tom. 4. p. 293.

(c) de sed. caus. ep. 57 art. 10.



nem morbi differri nequeant, indicant singularem sui curam, dum ergo carus, apoplexia, apnœa, metus suffocationis, aliaque pessima mala obesum irruunt, phlebotomia succurratur; quod jam *Avicenna* (a) monuit, nec ab illa nos pulsus detineat, debilitate enim mendaci in obesibus aliquando fallit secundum *Boerhaavii* (b) doctrinam, neque monitum plurium authorum, scilicet pingues ob paucum sanguinem difficulter v. f. ferre & phlebotomiam ad obesitatem disponere nos deterreat, nec regula *Galenii* (c), quæ supra modum crassis aut macilentis venam incidere prohibet, nam plethora in capite, pulmonibus, corde obesorum sæpe adest, & urgens indicatio vitalis reliquis præferri debet: teste *Boerhaavio* (d) fœmina obesa post æstivam ambulationem adipe fuso, & vasa minima infarciante in paraplegiam incidit, quæ v. f., purgantibus, cremore tartari sanata fuit: si febris acuta pinguem invadit, pinguedo soluta plethoræ effectus adducit; igitur evacuari humores turgentes debent sive v. f. pro re nata repetendis, sive potius per alvi flu-

C 2

flu-

(a) l. 4. fen. 7. tract. 4. C. 1.

(b) instit. med. §. 960.

(c) clas. 7. de art. curat. ad Glauc. p. 98.

(d) præl. acad. vol. 4. p. 527.



fluxum ope cremoris ☐, mannæ, tamarindorum utpote saponaceorum, & leniter purgantium excitatum, quo ingens olidissimæ materiæ copia absque tanta boni sanguinis jactura, ut per v. f. fit, & cum insigni levamine per anum sæpe expellitur, & ut oleum aquæ misceatur, atque facilius per urinam tunc rubram, & spumescentem, & per sudores tunc foetidos & subpingues educatur, detur serum lactis ebutyratum, aut largus aquosus potus adjectis saponaceis v. g. melle, saccharo, syrupis fructuum; in his tamdiu procedendum, donec minor calor & vasorum depletio appareat, monet *ill. v. Swieten* (a)

§. 12.

Cura curatoria: Cum ad impediendum effectum ulteriorem causa auferri debeat, medicamenta frustra in obesitatem agent, nisi causæ ejusdem tollantur, easdem igitur evitare necesse est: præterea, qui morbi causam cognoverit, is per contrarium utilia offerre facile poterit, uti *medicinæ parens* (b) docuit:

Quapropter Aer, & regio sicca calidæque eligatur, motum enim humorum auget, æstate & circa æquatorem pulsus fre-

(a) com. tom. 2. p. 312.

(b) de flatib. Foes. p. 296.



frequentiores esse scripsit *ill. Haller* (a): calidus aer humores ad alcalinam degenerationem disponit; *Boerhaave* (b) ex cane in cameram, ubi panes saccharini exsiccantur, imposito intra quadrantem horæ salivam rubellam, & præ fœtore intolerabilem effluere vidit; etiam humidissima dissipat, vascula exsiccat, sudorem auget: *Bernier* suum corpus in itinere a Lachor ad Cachemir quasi siccum cribrum fuisse, & quamque vix potatam illico ex digitis roris instar stillasse fatetur referente *cel. Zimmermann* (c); ideo in aere calido & sicco cellulosa exsiccat, magisque resistit deponendo oleo, motus humorum auctus oleum acrius tenuiusque redditum stagnare impedit, & per sudorem expellit; omnes in Jamaica macilentos esse dicit *cel. Zimmermann* (d); & jam *Galenus* regionum calidarum incolas uti Arabes, Ægyptios, Æthiopes, Libyos aridos & graciles omnes esse audivit. (e)

Fames & sitis obesitatem multum minuit; humores enim acriores facit, sales extricat, febriculam excitat, olea attritu

C 3

sol.

(a) *Elem. phys.* Tom. 2. p. 265.(b) *Chem.* Tom. 1. de ign. exp. 20. p. 237.(c) *Von der Erfah.* 2. Th. 152. S.(d) *Ibidem* p. 153.(e) *Clas.* 5. de simpl. med. facult. p. 14.



solvit, & per urinam expellit, humorum copiam minuit confirmante *Boneto* (a), qui in cadavere fame & siti peremti hominis venas & arterias valde inanitas & in vena cava vix 2 cochlearia sanguinis fuisse notavit, igitur venæ inanitæ ex cellulis oleum magis attenuatum facile resorbent: corporibus humida carne præditis famem inducere convenit, siquidem corpora exsiccat, ait *Hippocrates* (b): serpentes fame diuturna macilescere vidit *Bertram*: adipis massulas in rana, autumnoplenas, vere autem inanes *Valisnerius* vidit: abstinentia ciborum obesos cito & secure curatos, multosque ad triremes vel hostilem carcerem detrufos, & ex hoc solo tenui victu graciles, & emaciatos evasisse comperit *Musitanus* (c) narratque virum ad nimiam obesitatem exuendam thermas petiisse, sed data affinium opera in banditorum manus offendisse, multisque diebus in rupe cavata custoditum solo pane & aqua parcissime victitasse, unde a suis receptus abacta corpulentia thermas adire renuit: puerum cibis paucissimis tantum alitum ad sceleti macilentiam redactum fuisse

(a) Sep. Tom. 2. l. 3. f. 2. obs. 18.

(b) Sect. 7. aph. 59.

(c) De morb. mul. C. 4. p. 121.



fuisse *Abr. Kaauw* narrat. *Panarollus* nulla re citius pinguedinem consumi, quam subtractione humidi asserit, humores enim minus abluti citius fiunt acriores, ideo abstinentia a potu contra obesitatem laudatur: jejunium diu continuandum est, nam non tam cito per inediam adeps exhauritur; *ill. Haller* (a) describit virum obesum ob tenuem fortunam in stabulo ex inedia mortuum, in quo ventriculus & intestina absque stercoris vestigio, omentum tamen unciae j. crassitie inveniebatur: jejunium autem diu continuari posse docent apud *ill. Hallerum* (b) notata exempla hominum pluribus mensibus absque cibo viventium; fames vero eludi potest vino os colluente vel masticatione tabaci; dum tamen cibum assumunt, sit ille potius ad mitigandam, quam ad extinguendam totam famem: cibus solus animalis pinguedine privatus magis convenit, talis enim sanguinem ad putredinem promovet, tandemque febrim putridam excitat teste *Huxhamo* (c), sed humores ad putredinem vergentes minus apti ad conficiendum adipem sunt, quia hic multum acidi in se

C 4

con-

(a) Opusc. path. obs. 29.

(b) Elem. phys. Tom. 6. p. 173.

(c) De putrid. stat. Tom. 2. p. 62.



continet: *Cattierius* narrat quemdam diminuto panis nimis copiosi usu, inque ejus locum carne tantummodo substituta valde tenuem evasisse, præcipue autem caro infumata, piscesque saliti, panis hordeaceus, aliaque ventriculum repletia, difficile digerenda minus nutrientia laudantur, ut ventriculus sopiatur, sanguis depauperetur, & tunica cellulosa fallatur, *Hippocrates* post exercitationem validam jejune susceptam illico obsonia ex sesami majori copia assumere & semel tantum de die comedere suadet, sed *Galenus* (a) illi objicit ante vel post exercitationem illico cibum ingestum multis viscera præcipue jecur obstruere, & semel tantum comedentes interdum plus vorare, aliis bis comedentibus, ideo potius parum, quam semel tantum assumere suadet; caute cum leguminibus imprimis torrefactis mercandum est: foemina obesitatem suam torrefactis ciceribus & sale minuere volens in obstructions hepatis, lienis, & mortem incidit teste *Rod. a Castro* (b); igitur potius caro assata, salita, infumata, ferina, pisces saliti, cibus acris, diureticus, aromaticus assumatur, absit panis; *Hippocrates*
(a)

(a) De salubr. diæt. p. 41.

(b) De morb. mul. l. 3. p. 378.



(a) ait, extenuandis paucum panem convenire, est enim mucilaginosus & tandem aescens. Extenuandis omnia dulcia vitare suadet *Rhases* (b), ne blandi humores fiant. In mensa varietas ciborum vitetur, ne ad magnam copiam ingerendam alliciat.

Motus humorum auctus pinguedinem minuit, dum enim Arteriæ fortiori & celeriori motu oscillant, sanguis celerius propellitur, olea & sales attenuantur, acria redduntur, in putredinem exaltantur (animalis enim ad cursum violentum coacti caro cito putrescit. *Lister*) oscillantes arteriæ focias venas alterne quasi premunt, sic resorptum versus venæ basim exprimunt, in inanitum venæ locum humor ex apice ejusdem ob minorem resistantiam succedit, apex venæ in cellulosa inians inanitus resorbet oleum lege tubulorum capillarium; motus autem humorum augeri motu corporis & animi potest; huc igitur motus muscutorum pertinet, præsertim quia musculis agentibus oleum conquassatur, ex cellulis in venas extruditur, & per sudorem & urinam evehitur: valde laborantes indusia pingui sudore rigida habent, & urinam ruberrimam mingunt,

C 5

nec

(a) De morb. vulg. l. 6. Foës. 1175.

(b) Ad Alm. tract. 5. C. 61.



nec facile pinguescunt, quamvis voraces fuerint teste *ill. van Swieten* (a); præterea motus muscularis cellulofam & vasa sanguifera roborat, dum tenuiores & liquidiores particulas exprimit, crassiores sibi invicem viciniore reddit, attractionem mutuam, adeoque & cohæſionem auget, attractio enim corporum in ratione inverſa duplicata diſtantiarum, & cohæſio in ratione directâ attractionis ſe habet. Græci varia corporis exercitia juvenibus inſtituebant, ut corpora roborarentur, ſi hoc etiam nunc vigeret, non tot proles debilitatem ſuorum parentum rachidite luere videremus: ruſtici ex laboribus ante tempus rigelſcentes incurvato corpore ſuum ſepulchrum ceu laborum præmium quærere videntur; *Cælius Aurelianus* ſolo motu obefitatem ſuperari poſſe ajebat: *Sanctorius* (b) exercitio corporis & animi violento corpora pondere leviora & cito ſenefcentia reddi obſervavit: ſolo labore cum priori pabulo equus obefus macileſcit, in velocibus animalibus cellulofam circa renes adipe viduam *Ab. Kaauw* vidit: dum puer pede certo ſignat humum, geſtit paribus colludere & iram

(a) Com. Tom. 3. p. 256.

(b) De Static. exercit. aph. 19.



iram colligit & ponit temere, & mutatur in horas, partem adipis ceu mobilitatis vinculum perdit; omnes exercitationes quidem adipem minuunt, unum tamen corpus omnibus uti nequit, sed secundum habitum, ætatem, vires, consuetudinem idonea cuique exercitatio est invenienda, inquit *Galenus* (a); paulatim ab ambulatione ad vectionem in curru, ad equitationem, cursum laborem pergendum est, ne repentino, nimisque aucto motu pinguedo fusa plenitudinem vasorum adferat, & oleosa immeabilitate vasa cerebri, pulmonisque obstruat, cor pulmones cerebrumque obruat; equi post longam in stabulis quietem valido cursu pulsi subito mortui concidunt, viditque *Ruyfchius* in tali equo adipem omenti non in venas, sed in abdominis cavum erupisse; si calore æstivo vel motu corporis valido pinguedo omenti fusa in hepar ruit, ultimosque venæ portarum fines obstruit, ruptis vasis subita mors fit, sic armenta lætis in arvis pinguefacta in calore æstivo languere, angi, vertiginosa fieri, in oculis flavescere incipiunt, mox mortua concidunt & totum abdomen sanguine plenum invenitur *ill. v. Swieten* (b):
apud

(a) *Clas. 3. de morb. vulg. com. p. 170.*

(b) *Com. tom. 3. p. 122.*



apud *Bonetum* (a) vir ex obesitate motui ineptus currum ascendit, sed vix per quartam miliaris partem vectus subito moritur, in ejus cadavere viscera pinguedine admodum abundabant: fœmina ob adipem valde ventricosa in brevi itinere moritur notante *Fel. Plater* (b); hanc ob causam ante motum obesis per repetita purgantia leniora corpus a gravante pinguedine liberari suadet *ill. v. Swieten* (c). Huc febris revocari potest, quæ quantum emaciet, apparet ex exemplis; a vehementi equitatione febris nata obesitatem cito dissipavit, fœces alvi pingues reddidit, & in sanguine glutinosum adipem reliquit *Glissonio*; in cadavere febris vehementissima & convulsione mortui *Baglivius* (d) invenit cellulas pinguedine vacuas, complicatasque, fibras musculorum aridas, intestina in pinguedine fere innatantia: in febre ardente secunda die $\frac{1}{4}$ olei partem ex sanguine exsiccatō obtinuit *Browne Langrisch*: constat ex observatis (ait *ill. v. Swieten* (e) per febrim acutam paucorum dierum spatio obesum hominem evasisse

ma-

(a) Sep. tom. 1. l. 2. S. 11. obs. 17.

(b) Obs. l. 3. p. 877.

(c) Com. tom. 3. p. 337.

(d) De fibr. mot. l. 1. p. 313.

(e) Com. tom. 2. p. 311.



macilentum, & amaris & calidis remediis excitata febre nimiam obesitatem sæpe feliciter curatam fuisse; ideo *Galenus* extenuando internis & externis medicamentis febrim excitavit, & viro (a) nimis obeso rutam, centaureum minus, aristolochiam, theriacam, diuretica, frictionem ante & post velocem cursum asperis linteis ad rubedinem usque, & mox inunctionem oleis stimulantibus peragendam, postea balneum muriaticum, dein post quietem cibum parum nutrientem suavit, & hac methodo eum curavit. *Forestus* aurifabrum adeo pinguem, ut vix non expiraret, pulvere ex tartaro, zinzibere, cinnamomo saccharo sæpe usurpato curatum esse memorat. Curæ, meditationes, animi affectus pinguedinem valde dispellunt, ventriculus enim debito liquidi nervei affluxu desertus officii sui obliviscitur, sæpeque cibus caret, chylus paucus & malus fit, nutritio adhuc pejor, accedente motu humorum perturbato, vigiliisque; *Cæsar* pingues non timuit, hos enim reipublicæ cura & libertatis desiderio nequaquam marcescere sciebat; litterati studiis incumbentes ob dissipatos spiritus animales vigiliasque in ventriculi cruditates & marasmm incidunt
con-

(a) Claf. 7. meth. med. l. 14. p. 91.



confirmante *Ramazzini* (a); meditatio maciem inducit, *cel. Tissoto* (b) teste foemina ideæ sacri erga Servatorem nostrum amoris ita unice & assidue dedita fuit, ut post sesquiannum tabida perierit: amantes emaciari sed concessa persona amata reconvalescere *Avicenna* novit, invidia infantes reddere macilentos *cel. Zimmermann* (c) observat: iræ valde deditos esse macros, obesos autem plerumque mites sæpe videmus, ab ira corpus reddi levius probavit *Sanctorius* (d).

Vigiliæ protractæ augent acre, febriculam excitant, nutritionem somno peragendam impediunt, igitur oleum in cellulofam deponi non admittunt, & per urinam expellunt; in quibuscunque morbis ficcitas confert, conducit quam minimum dormire *Hippocrates* (e).

Denique ut paucis multa dicam, cum *Celfo* (f) moneo; extenuant corpus inurens sol, omnisque calor, cura, vigiliæ, somnus brevis, lectus per æstatem terra, hyeme durum cubile, vehemens exercitatio,

(a) De litterat. morb. p. 340. & 350.

(b) De valet. litt. p. 22.

(c) Von der Erf. 2. Th. 494. S.

(d) De Static. anim. aff. aph. 1.

(e) De affect. Foës. p. 526.

(f) Lib. 1. C. 3.



tio, semel in die epulæ, potio vini non perfrigidi in jejuno ventriculo, balneum muriaticum ad jejunum corpus.

Si pertinax obesitas his non cedit, procedendum ad remedia eam expellentia erit, quæ varia sunt: *Ægineta* (a) methodum adipem ex mammis excindendi docuit: *Plinius* quidem medicos *Apronii* filium adipe excisa pondere levasse, & *Reisnerus* comitem *Dedonem* (qui ex nimia obesitate crassi nomen trahens arvinam corporis medico secandam præbuit, antequam cum *Henrico VI.* Imperatore militaturus in *Apuliam* iret) refert, sed hæc crudelia sunt, & commentita putantur; tutius & mitius est aliis remediis uti: *Sanctius* post obitum fratris sui *Hispaniæ* Rex electus nimia pinguedine oneratus, ambulandi, regni officia peragendi impos excisionem adipis pati decrevit, sed medici *Cordubenses* dissuaserunt, eumque per emaciantia medicamenta ita liberarunt, ut postea aliquot annos regno præfuerit. Ad evacuandam pinguedinem venæ ex cellulis plus olei resorbeant, quam arteriæ adferant, oportet, ad quod requiritur attenuatio adipis, venarum depletio, pinguedinisque per inanitas venas extra corpus eliminatio; ideo obesitas superfluos hu-

mo-

(a) Lib. 6, C. 46.



mores corpori subtrahentia commendat *Fr. Hoffman* (a) morbos ex repletione evacuatio curat *Hippocrates* (b); viæ autem tales excretoriæ sunt variæ: omitto vomitoria, quamvis enim *Hippocrates* (c) ad extenuandos crassos vomitum suadeat, *Celsusque* confirmet, periculosa tamen esse obesis plethoræ particulari capitis, pulmonis, cordis obnoxiiis puto: tutiora sunt purgantia per epicrasim sæpius data, sed non nimis valida ob vires debiles nociva, purgantia enim primas vias evacuant, irritandoque humores ad eas alliciunt, intransque vias secundas, vasa stimulant, humores sanos & pinguedinem attenuant, raptosque per intestina reducunt, sæpeque in urinam deviant. *Galenus* (d) investigari suadet, an plura justo dejecerit, si gracilius sit corpus, an venter adstrictus fuerit, si obesum sit: *Celsus* inquit crebris purgationibus assuescere corpus, est non nutrire, conveniunt autem præprimis aloëtica, quia simul valde attenuant: *Fernelius* corpora obesa pilulis ex rhabarbaro, aloë & agarico optime curari asserit; elixir *Proprietatis* sæpius

(a) med. rat. syst. tom. 1. par. 1. p. 245.

(b) sect. 2. aph. 22.

(c) de salubr. vict. rat. Foes. p. 338.

(d) clas. de sanit. tuend. l. 5. p. 89.



pius assumptum alii suadent; obesi soporem dato sapone & purgantibus *ill. Haller* fustulit (a) Diuretica plurimum laudantur, proprius enim magis exitus acriorum, & pinguium est per urinam, quæ suum colorem & odorem præcipue oleo debet, adeps & sanguis diureticis exagitatus, acriorque redditus commode per vias urinales abit, sebum enim liquatum in arteriam renalem injectum absque ligatura venarum renalium facile per tubulos papillarum excretorios in pelvim renum transit; obesitatem potu diuretico cerevisiæ loco assumpto intra unicum bimestre curatam vidit *Helmontius* medicorum Apostata (b): *cel. Tissot* (c) fœminæ pinguedine sepultæ, pi-græ, immemori oxymel scilliticum cum sale neutro & tenuissima solvente diætâ dedit, post aliquot dies salutis spes affulgebat, sed jam 7^{ma} die hæc remedia renuens in apoplexiam transiit. *Stephanus* acetum scilliticum jejuno ventriculo assumendum, alii absinthium in eodem maceratum laudant. *Avicenna* (d) diuretica uti petroselinum, sandaracam, semen apii

D &c.

(a) *elem. phys.* tom. 5. p. 604.

(b) *de latic. hum.* p. 364.

(c) *epist. de apopl.* p. 132.

(d) *l. 4. fen. 7. tract. 4. c. 6.*



&c. cibum falsum suadet, sandaracæ scrup. j. jejuno ventriculo aliquamdiu assumendum confirmat *Oswald*: semen urticæ ob vim diureticam contra obesitatem commendant *Breslavienses*, frequens enim ejus usus tabem excitavit, si fidem *Schonbornio* adhibemus: *Hippocrates* (a) crassis extenuandis suadet, ut mox post exercitationem validam jejune susceptam infusa salsa, nempe infusum sem. hyssopi addito aceto & sale vinum dilutum sensim, dein celerius ebibant: *Boerhaave* (b) virum obesissimum, qui in somnolentiam in sermone sæpe redeuntem incidit, assumpto sale & essentia absinthii sanavit: huc pertinet saccharum tanquam sal medius, nam olea nimis solvendo macilentiam inducere potest ad mentem *Boerhaavii* (c): *Forestus* narrat virum valde obesum pilulis 7. ex therebinthina cum saccharo bihorio ante prandium aliquamdiu assumptis valde extenuatum fuisse: huc referri sapo venetus potest, quoniam is in cellulas penetrans oleum attenuat, sanguini magis miscibile reddit, serum sanguinis & urinam ad alcali plus convertit, & urinam

(a) de salubr. vict. Foes. p. 338.

(b) præl. acad. vol. 4. p. 527.

(c) elem. chym. tom. 2. p. 139.



nam auget; *cel. Malc. Flemyng* (a) viro
obesitate ita incrementi, ut 211 libras
pendens comatosus & gradiendo impar
esset, cæterum sano, exceptis exiguis po-
dagræ insultibus, usum saponis internum
suavit, hic assumptis omni vespere drach.
2. saponis in libr. β . væ . soluti copiosam
urinam sine molestia mingebat, & intra
biennium 40 libris levior factus viam $\frac{1}{2}$
horæ facile emetiebatur: fæmina propter
obesitatem sopore frequenti, torpore lin-
guæ, brachii, cruris, vertigine oculorum
prehenditur, cujus pinguedinem & sym-
ptomata largo saponis veneti & oxymellis
scillitici usu, diæta tenui leniter stimu-
lante, modico exercitio *cel. Tissot* (b) sen-
sim dispulit, & sanitatem revocavit; *cel.*
Wade (c) quidem usum saponis etiam ad-
jecta aqua calcis in nobili potius auxisse,
quam minuisse obesitatem observavit, sed
an causas obesitatis vitavit? multum cer-
te emacianti saponis virtuti lac aquæ cal-
cis additum demebat. Aqua calcis, quam
diureticis quoque adnumerant, maciem
adducere potest, quod *cel. Professor de*

D 2

Crantz

(a) Abhandl. von der Fett. 4. S.

(b) ep. de apopl. p. 132.

(c) Beob. von einer widern. Fett. 63. S.



Crantz (a) notavit, participat enim de dotibus falis alcalini, agit in materiem oleosam, pinguem, facile igitur oleo in cellulis hærenti nubit, & sua acrimonia vasa ad resorptionem & excretionem stimulat, & terrestri sua parte cellulas roborat, atque exsiccat. Antiscorbuticæ plantæ non inutiliter contra obesitatem adhibentur, sale enim suo alc. volatili vasa stimulant, ob tenuitatem suam commode in cellulas penetrant, acido in adipe contento se associant, cumque hoc in salem neutrum penetrabilem, diureticum, & diaphoreticum mutantur: nasturtium carnem liquefacit, & in vias urinæ agit ad *Hippocratis* mentem. (b)

Sudorifera humores movent, motu oleum attenuant, & per cutem expellunt; decoctum ligni guajaci *cel. Wade* commendat, siquidem sudoriferum est, & exsiccat, a diuturno ligni guajaci decocto pulmones exaruisse in cadavere invenerunt; ait *Bonetus* (c) idem decoctum hominem valde emaciavit teste *Verulamio*. Acetum contra obesitatem laudant authores, quia sudorem egregie ciet, & imprimis quia,
uti

(a) mater. med. tom. 2. p. 150.

(b) de vict. rat. Foëf. p. 359.

(c) sep. tom. 1. l. 2. f. 1. obs. 53.



uti *cel. Professor M. Collin* optime in suis collegiis explicavit, humores cacochymicos & ad adipem parandum ineptos efficit: *Bonetus* (a) narrat de viro perquam obeso, qui tandem vino potum aceti ad vitæ finem usque substituens se ita extenuavit, ut 87 libr. pondere decreverit; hoc tamen medicamentum minus tutum est, quia minori copia assumptum cellulofam & vasa magis debilitat, & collectioni pluris olei aptat, cumque sanguinis oleo facilius in adipem coit, majori autem copia cacochymiam facit, indeque mala majora post se trahit: *Mufitanus* (b) acidis immoderate assumptis obesos in perniciosiora & forsam incurabilia mala coniectos vidit, multamque cautionem suadet; apud *ill. Hallerum* (c) vir ad pinguedinem suam tollendam acetum & acida ultra annum potabat, & in summam quidem maciem incidit, sed succedente ciborum fastidio & assumptorum vomitu moritur, inque cadavere ventriculum crassum scirrhusumque reliquit. Evacuatio pinguedinis per salivam interdum juvit: *Borellus* (d) obesum ob suffocationis metum

D 3

nec

(a) Sep. Tom. 1. l. 2. S. 2. appen. obs. 25.

(b) De morb. mul. p. 122.

(c) Opusc. path. obs. 26.

(d) Cent. 2. obs. 11.



nec gradiendo, nec equitando parem, deimasticatione foliorum tabaci curatum describit: suctionem fumi tabaci obesis profuisse memorat *cel. Tissot* (a): nec mirum siquidem saliva stimulo elicit humores depauperantur, & saliva partim excernitur, partim cum oleo tabaci inviscato deglutitur, alvus, urina, perspiratio adjuvatur, sanguis attenuatur, bruta enim oleo tabaci necata sanguinem in corde solutum habebant *Horder*; salivatio ope mercurii excitata inter fortia obesitatis remedia ponitur, mercurius enim sua gravitate & divisibilitate per minora vascula penetrat, humores solvit, halitum, sudorem, urinam reddit foetidam; vir ex nimia obesitate aliisque, sibi que molestus inedia exercitio, variisque medicamentis frustra adhibitis, tandem pilulis ex mercurio dulci assumptis ptyalissimum non perfunctorium, sed qualem venereis exsiccatis suadent, sibi genuit, & sic feliciter se pinguedine exoneravit, alacris ad munia rediit, & ob sensum rediens malum quinto anno postea eandem repetiit curam uti ex *Bartholino* (b) notum est, sed de vacuante medela scribere plus nolo, quoniam brevis esse laboro. Postquam pinguedo ex cellulis expulsa

(a) de apopl. p. 145.

(b) in act. med. ann. 1671, obs. 74.



sa fuit, easdem roborare oportet, ut oleo porro irruenti resistent, & subterfugiens oleum cito expellant, roboranda quoque vasa sanguifera sunt, ne amplius oleo magis invicem accedendi, & per latera vasorum laxiora aufugiendi occasionem præbeant; roborant autem interne stimulantia, dum solida agitant expressisque tenuioribus magis coadunant, & adstringentia, dum particularum interstitia minuunt; externe roborat motus muscularis oleum ex cellulis exprimens, solidaque magis compingens; larga quoque frictio panis laneis fumo aromatico imprægnatis aut scopulis setaceis peracta huc confert, siquidem viscidum fines vasorum cutaneorum obstruens aufert, irritando elicit humores, & perspirationem auget, exteriorem cellulosa & vasa magis comprimit, alternam in venis oscillationem imitans, humores celerius cordi remittit, quantitatem motus, & circulationem auget, frictio dura vim habet carnem vincendi, mollis solvendi, multa minuendi, mediocris implendi *Hippocrates* (c): Juvenem præ obesitate valde dyspnæicum aliis frustra adhibitis, scarificando partes, & sale acetoque acerrime

D 4

fri-

(c) de offic. med. Foës. p. 746.



fricando curavit *Zacutus Lusitanus* (a): *Galenus* post frictionem siccam oleo acri extenuandum hominem inunxit. Balneum frigidum præsertim muriaticum huc pertinet, sal enim marinus per cutanea vasa resorptus circulationem pertinaci stimulo auget, dum in corpore animali immutatus per urinam transit, & corpus exsiccat: *Galenus* (b) inquit, si corpus durius sit, memento balneorum plane frigidorum, idem (c) anteponit aquam balnei in Lesbo, in Mytilene, aut similem, quæ salem marinum continet, præcipue si jejunos fuerit, & natationis motum simul exercuerit: *Zacutus Lusitanus* (d) balnea naturalia ferri, nitri, sulphuris ob vim exsiccantem obesse commendat; balnea aluminosa *Rod. a Castro* (e) adjicit; vir frigido mari sæpe se lavans evasit macilentior, ideo illi balnei hujus usum interdixit *Huxham* (f) suavitque humidum relaxantem, nutrientem diætam, & caro redibat. Subsidiis externe apposita stimulantia, & adstringentia adnumerari possunt; *Fel. Plater* (g) ad mammarum incre-

(a) tom. 2. prax. adm. l. 3. p. 125.

(b) de clas. 2. tuend. sanit. l. 5. p. 89.

(c) clas. 7. l. 14. meth. med. p. 91.

(d) tom. 1. med. princ. hist. 6. p. 948.

(e) de morb. mul. l. 3. p. 379.

(f) tom. 2. p. 39.

(g) tract. 3. p. 51.

crementum impediendum applicari fomentum ex *Mentha*, *myrto*, *plantagine* in vino rubro, & paucō aceto vel ex sale amoniaco & alumine in vino solutis suadet. Tandem abacta pinguedine vacuam cellulosa fasciæ, vestes arctius appressæ firment, distractionem redituram impediant, hoc multum juvare jam *Avicenna* (a) novit, manum enim pinguem esse ligandam suadet, dum altera manus pinguis, altera extenuata est.

Remedia tamen hucusque allata caute & paulatim sunt adhibenda, optime enim *Hippocrates* (b) monet; plurimum, & repente vacuare, vel implere, vel calefacere, vel refrigerare periculosum; omne siquidem nimium naturæ inimicum, paulatim vero quod fit, securum, tum vel maxime si quis ab uno transierit ad aliud.

Hæc tum ex variis authoribus, quos studiorum meorum tempore partim ob delectationem, partim ob necessitatem legi, tum ex proprio ingenio composui; tuum, lector, est judicare, quid medicinæ tyronis humeri valeant, quid vires ferre recusent, siqui his remediis se obesitate liberabunt, gaudebo hominem adjutum esse,
&


(a) l. 4. fen. 7. tract. 4. c. 2.

(b) sect. 2. aph. 51.



& ad munia obeunda aptiorem evasisse,
 si vero quis istis adhibitis non curaretur,
 ignoscatur mihi, dum adjuvare volebam,
 sed non poteram, & hæc sibi dicta putet:
 principiis obsta, fero medicina paratur;
 interdum docta plus valet arte malum.





NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

C08155 ■



00000320994

